



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Ammon Et Soc. MM. 20. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu conjugis tertio. Mortuus filiæ primò visus est illa verba Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur justus, & nemo recogitat*; tum alteri deinde è virginibus regio habitu fulgens nuntiansque MEGENGORIS nomen in MEGENGAVDII sibi mutatum esse. *Ex vitâ S. Adelhaidis & Molano.*

Christi humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provehi potest quilibet felicitas humana fastigium, ut estimet sibi pudendum, quod Deus in formâ servi non est arbitratus indignum. S. Leo serm. i. de Resurr.

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

Sub annum partæ salutis CCLIII. Alexandriæ seodem tempore in Christianos sævitum est, & in latrunculos animadversum; simili in longè dissimillimos supplicio. Fortè inter nomina horum nomen delatum est Genesii. Hic quòd extra culpam esset, facile se purgavit. Sed dum à latrocinii suspicione absolvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil negare jam Genesius, gloriari hoc facinore. Latronibus igitur sociatus, pejusque his ipsis habitus igne crematus est. Hoc verò supplicii genere territus alias quispiam è Christianis, cùm nutare non dubiis signis ad tribunal impium videretur, ecce AMMON, ZENO & PTOLEMÆVS (fortissimi milites) per medium agmen penetrare, & cùm verbis non possent, nutu labantem ad constantiam hortari. Itaque jam oculis annuere, jam manibus loqui, jam lacrimis & gemitibus clamare, jam toto corpore supplicare, ne indignum

21. Dec. VITÆ SANCTORVM. 617
gnum quidquam Christiano admitteret. Hoc ipsum verò cùm oculos non posset fugere spectatorum, vulgum scilicet in se armarunt. Tum verò nihil dissimulandum amplius rati, in medium omnes prodierunt, & Christum jam pleno etiam ore confessi populum omnem in stuporem raperunt, socios contra tyrannum mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quod cæli civem, hoc est Martyrem, servassent. Ex epist. Dion. Alex. apud Euseb.

Quo, quæso, dignum te judicabis, qui factus ad imaginem factoris tante in te majestatis non defendis dignitatem? & tu homo, cùm in honore es, honorem tuum non intelligens, compararis jumentis insipientibus, dum nil spirituale aut aeternum elaboras? S. Bern. epist. 104.

S. THOMAS AP. 21. Decembris.

DIUS THOMAS est, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse THOMAM, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliapotem usque tulit, firmavitque miraculo, cùm ingenti mole arborem, & quam multi & homines & elephanti movere loco frustra laborarant, obsequentē ipse cingulo suo per milliaria x. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cùm mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper sub cœptas Hispanorum navigationes vidimus. Ceterum fuit è sacrificulis tum temporis, qui suā manu filium mactavit, scelusq; THOMA affinxit. Hic alium nullum pro se causam dicere THOMAS voluit, præter infantē mortuum. quis credat?

Absolvit